

1678.

1. Bohn, Johannes, Fac. med. pro-cancellarius: Programm,
quod iuribus et actum salernensium Johannem Fridericum Hligerii.
2. Bornius, Tobias, Fac. jur. pro-cancellarius: Programm,
quod actum salernensium presentationis sex eadem datorum
juris iuris et ad eundem . . . iuribus
3. Carporius, Augustus Benedictus: De iure aggratiandi
4. Carporius, Augustus Benedictus: De remedio
5. Carporius, Augustus Benedictus: De iure bonorum
- 6^a, 6^b, 6^c Carporius, Augustus Benedictus: De processibus
iuribus privilegiorum 3 Saupl. 1678 ? 1718
7. Carporius, Augustus Benedictus: De blasphemia.
8. Carporius, Augustus Benedictus: De bonis uxorum
receptitiis
9. Cramerus, Martinus Zacharius: De eo, qui ad
indivisionem fortunam pervenit

10^{a, b, c}

7. Seckholdt, Hieronymus: De lteris incarcerationis
parentibus s. arrestatoribus 3 Sumpt. 1678, 1702
i 1741.

11. Elmulerus, Michael: De uretro orca vulgaris
suppositiva spermatis ceti larva detectato.

12. Fresenleben, Joh. Bartholom.: De ludis.

13. Gieslerus, Fridr.: De defensione rei in criminati-
bus.

14. Gieslerus, Fridr.: De civitatibus municipalibus in
Imperio Romano-Germanico.

15. Giesler, Fridr.: De juramentis.

16. Gieslerus, Fridr.: De civitatibus Imperialibus eaque
juribus.

17. Hahn, Joh. Georgius: De Electoratu Friburgi
hellici.

18. Heimerl, Daniel Augustinus: De consensu ad actum
validitatem necessario.

1678

19. Flij, Gropius Nicolaus : De officii in favorem
tertii resignatione

FACULTATE MEDICAE
ACADEMIAE LEIPSIENSIS
PROCANCELLARIUS



1178

[Faint handwritten text, possibly a title or header]

[Faint handwritten text]

[Faint handwritten text]

[Faint handwritten text]

[Faint handwritten text]

[Faint handwritten text]

[Faint handwritten text]

[Faint handwritten text]

[Faint handwritten text]

[Faint handwritten text]

[Faint handwritten text]

[Faint handwritten text]



273

1678 3 4 IX

B. C. D.

J U S A G G R A T I A N D I

Magnif. Jctor. Ord. Consensu,

PRÆSIDE

DN. AUGUSTO BENEDICTO
CARPZOVIO,

J. U. D. ET PANDECT. PROF. PUBL. NEC
NON FACULTAT. JURID. ASSESS. ET CANON.
NUMBURG.

Solemniter Proponit

A U T O R

CHRISTIAN. AYRER,
DRESDENS.

H. L. 2. C. d. XX. Decembr. M. DC. LXXIX.

L I P S I Æ,

Typis CHRISTOPHORI GÜNTHERI.

Nono Alex

m,

bl

3 /

rio
m
ni-
ei-
le-
ro.



V I R O

Generosissimo atq; Excellentissimo,

DN. HENR. GEBHARDO à MILTIZ,

Toparchæ in Bûrckersdorff/Schönbach & Ruzwalda re. POTEN-
TISS. SAX. ELECT. AC PRO-ELECT. Consiliario, Comiti,
Aulæqve Mareſchallo &c.

Domino ac Patrono suo omni honoris cultu perpetim colendissimo.

Nec non

V I R I S

Summè Reverendo & Magnifico

DN. JOHANNI ANDREÆ LUCIO,

SS. Theol. Doctori, Consistorii ELECTORAL. Supremi Affessori, Ec-
clesiæ Dresdensis Pastori, Ejusdemqve & vicinarum Su-
perintendenti &c.

Præ Nobilissimo atqve Consultissimo

DN. BASILIO CHEMNIZIO, Jcto,

SERENISS. ELECTOR. & PRINC. ELECTORAL. Consiliario,
Cameraqve Intimioris Secretario &c.

Nobilissimo & Amplissimo

DN. HENRICO HOYERO,

SERENISS. SAX. ELECTOR. à Rationum & Rei Ligna-
riæ Redituum Secretis &c.

DN. DN. DN.

Susceptor, Affinibus ac Patronis obsequiosè Honoratissimis.

qvalem qvalem

hunc

Laborem Academicum

in

grata mentis & obedientiæ debita tesseram

offert

A U T O R.



CHRISTO AUSPICE.

PROOEMIUM.

Non immerito gravissimus ille Atheniensium Legislator Solon, *ad Reip. salutem omnium maxime spectare*, dixit: *Bonos præmiis invitari, malos autem pœnis coërceri.* Quippe in hac firmissimâ basi Reip. fundatur emolumentum, civiumque constat beatitudo, si benè ac laudabiliter gesta dignis ornentur muneribus, scelera verò justis exterminentur pœnis. Cumque *suprema*, ut Cicero ait, *lex sit salus populi*, omnia omninò ad hanc obtinendam collimare debent; quod ipsum etiam innuit Ulpianus, dum, *bonos non solum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoque, exhortatione efficere, Justitia Sacerdotes cupere*, inquit in *l. 1. §. 1. ff. de J. & J.* Qui igitur honoribus, præmiis ac splendore, quibus justa atque honesta decorantur, à malis nequeunt avocari mali, atque hæc, ad quæ virtus invitatur, spernunt brabeumata; eorum vitia & fraudes damnis, ignominiiis, vinculis, verberibus, exiliis, morte multari justum est: & quos ipsa natura in officio retinere non potest, si magnitudine pœnæ maleficio submoveri debent, *Cic. pro Rosc. Amer.* quò sint reliquis documento, & acerbitate pœnæ perterreant alios. Resecanda enim à Reip. corpore membra illa vitiis putrida, ne pars sincera trahatur, peccandi que licentiâ tota demum evertatur Resp: cujus fortuna simul cum moribus immutatur, ubi pro labore desidia, pro continentia & æquitate libido atque superbia invasere. *Sallust. bell.*

Catil. c. 2. Rectè igitur, sic à Majoribus institutum esse, ut, si anteissent delicta, pœna sequerentur: inquit Tiberius apud Tacitum 3. Annal. c. 69. Neq̄ frustra gladium gestat Magistratus: nam DEI minister est, ultor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit: verba sunt Apostoli, ad Rom. c. 13. v. 4.


Quemadmodum autem delicta alia graviora sunt: leviora alia; ita & diversas in ea LL. statuunt pœnas, quæ rursus pro delictorum qualitate & circumstantiarum ratione vel intenduntur, vel minuuntur: Imo quandoq̄ve vel totalis pœnæ remissio, vel saltem mitigatio à Principe ob id implorato concedi solet, quod ipsum Aggratiandi Jus dicitur.

Cum itaq̄ve hoc tempore specimen aliquod Academicum exhibere necesse haberem, ad hoc, quod dixi, Aggratiandi Jus animum appuli, deq̄ve eo, pro ingenii modulo, præsentem conscripsi dissertationem, in *tria* divisam *capita*: quorum *primum de Jure Aggrat. Quid sit?* Alterum: *Cui competat?* Ultimumq̄; *In quibus delictis locum habeat?* breviter aget. Fave, B.L. conatui! Tu vero Bone DEUS annue cœptis!

CAP. I.

De Jure Aggratiandi, Quid sit? agit.

I.

 Peræ pretium fore arbitror, anteq̄vam Rei tradam, Nominis quoq̄ve definitionem paucis attigisse, quamvis id Criticorum scholæ literarū apices scrupulosè metienti committendum videatur, quippe primò omnium verborum originem inquiri vult Ictus in *l. 1. pr. ff. d. 7. § 7.* & nomine ritè intellecto facilius res ipsa intelligitur, & intellecta determinatur.

II. Est autem definitio Nominis vel Etymologica; vel Homonymica; vel Synonymica.

III. Quod Etymologiam vocis Aggratiare concernit (de vocabulo Juris disquirere supersedeo) eam ex præpositione ad & nomine

mine gratia compositam esse nulli non patet; cum aggratiare idem atque ad vel potius in gratiam recipere: vel ad gratiam redire significet. Quamvis autem hoc ipsum vocabulum in toto Jur. Civ. Corpore non reperiatur, imo nec apud ullum tersioris latinitatis Scriptorem legatur, atque adeo pro barbaro habendum sit, receptum tamen est Jctorum ita loquendi consuetudine, quam omnimodè approbare & sequi optima s'vadet ratio. Clafen. *de Jur. Aggrat. c. 4. §. 1.* Dn. Ziegler. *de Jur. Maj. Ex. 4. §. 30.* Dn. Struv. *Synt. Jur. Civ. Ex. XLIX. tb. 89. Heig. P. 2. q. 22. n. 23.*

IV. Venit nunc Homonymia eruenda, quæ quidem in hoc vocabulo adeò clarè non apparet, ad evitandos tamen quosvis seductus, notandum, quod cum Indulgentia, de quâ hîc, quandoque confundatur Restitutio, quæ tamen, si effectum consideremus, quem illâ habet longè pingviorem, omnino ab eadem discernenda est; Hoc tamen de restitutione plenaria seu speciali intellectum volo, per quam honores, dignitates omniâque cetera recipit restitutus. *l. 1. C. de sent. pass. & restit.* Cum generali autem restitutione indulgentia seu aggratiatio eadem est, quæ scilicet pœnâ tantummodo liberat, non etiam bona reddit, nisi quid specialiter fuerit expressum. *l. 2. 4. 5. & 7. C. eod. Mejer. in Colleg. Argent. d. t. n. 2. & 3.* Dn. Ziegler *de Jur. Maj. Ex. 4. §. 31.* Wissenb. *ad tit. ff. de sent. pass. init.*

V. Posset etiam huc quis abolitionem referre, de qua *in toto tit. C. de Abolit.* nec non *in tit. ff. ad Sctum Turpill.* Eandem tamen à pœnæ venia, qua de hîc agimus, plurimum differre, quam explicetur, clarius est, & hodiernis moribus ejus usus obsolevit, teste Wissenb. *ad Sctum Turpill. §. 13.* quem allegant D. Struv. *S. J. C. Ex XLIX. §. 89. & Eckolt. d. t. §. 8. f.*

VI. Ad Synonymiam pergo. Dicitur autem hoc Aggratiandi jus Indulgentia. *l. 2. C. de sent. pass.* Hartm. Pistor. *Obs. 165. n. 10.* Gratia id. *d. Obs. n. 4. & seqq.* Dn. Struv. *d. l. Venia pœnæ. ibid. init.* Remissio supplicii. *c. l. §. 90.* Remissio venialis: Gratia Criminis. Besold. *l. 1. Polit. c. 4. §. 4.* Venia Criminis. Perez. *ad Cod. de sent. pass. n. ult.* in vernacula nostra dicitur: Begnadigung der Maleficanten. Besold. *Thes. Pract. b. t.*

VII. Perspectis itaque Nominalibus ad Realia transeo. Sit ergo definitio talis: Jus Aggratiandi est potestas Regalium jure

competens pœnam in Legibus definitam vel planè remittendi, vel mitigandi. Potestatem dico Regalium jure competentem, quia, quemadmodum inter Regalia primum locum tenet potestas Legislatoria, quæ certissimus est Majestatis character, Ziegl. *de Jur. Maj. Ex. 3. §. 1.* atqve vigore ejusdem Princeps leges positivas pro lubitu figere atqve refigere potest; ita etiam pœnam in iisdem statutam vel penitus remittere, vel mitigare omnino valet, ex ea, quam modò dixi, Regali potestate. Legum enim ferendarum absolutam potestatem, noxæ eximendi, criminisqve admissi gratiam faciendi immediatè sequi facultatem rectè concludit *arg. l. 37. ff. d. R. 7. Besold. Polit. l. 1. c. 4. §. 4.* Atqve hoc Aggratiandi Jus merito inter Regalia refertur. Regner. Sixtin. *de Regal. l. 1. c. 2. n. 16.* Est enim Symbolum summæ præminentia. *l. 7. C. de prec. Imp. offer. l. 27. ff. de pœn.* & præcipuum caput Majestatis. Bodin. *d. Rep. l. 1. c. 10.* & quemadmodum cetera jura, ita & hoc à summâ potestate dependet.

VIII. Quod etiam hoc Jus ultra LL. positivas ad LL. divinas & naturales quandoqve, justis nimirum & validis concurrentibus causis, se extendat, nullus dubito. Myler. *de Stat. Imp. P. 2. c. 50. n. 17.* Dn. Strauch. *Diff. ult. §. 30.* Dn. Struv. *c. Ex. §. 89.*

IX. Remittitur igitur pœna à LL. definita, ea scilicet, quæ ob crimen aliquod commissum infligi debebat, sive sit in specie à LL. determinata & ordinaria, sive judicis arbitrio relicta & extraordinaria; quamvis in hac, nisi planè remittatur, aggratiatio locum habere non videatur, quia nimirum benignior sententia & aliqualis pœnæ diminutio ex æquitate, quam judex in extraordinariis respicere debet, quasi dependet. Cum vero, reò demum ob delictum commissum convictò & propter id per sententiam condemnato, regulariter gratiæ principis locus sit, Dn. Ziegler. *d. Ex. 4. §. 34.* ubi enim nulla condemnatio, ibi nec gratia locum habet; & qui condemnatus, etiam certæ pœnæ subjectus est: utiqve exinde sequitur, etiam in extraordinaria pœna, dummodo in genere in LL. sit definita, & deinde in sententia à Judice specialiter expressa, aggratiationem plenam & minus plenam locum habere.

X. Causas, quæ gratiam Principi svadeant, justas omnino esse decet, cum non facilè pœnas remitti, publicè interfit, ne ad maleficia temerè quis profiliat, uti Imperator *in l. 14. C. de pœn.* loquitur. Quapropter

propter facti circumstantiæ diligenter venient perpendenda, & ponderanda ea, quæ publicæ utilitati ac necessitati inservire possint. Præprimis cavere debet, ne veniæ concessione super delicto enormi ipse conscientiæ suæ notam inferat Princeps; aut per immaturam & inconsideratam gratiam *περσωπολημίας* se subditis suspectum reddat.

XI. Dividitur Aggratiatio in plenam & minus plenam: illâ pœna statuta penitus remittitur: hæc vel mitigatur, vel in aliam levio-rem transmutatur: atque distinctio hæc *infra in cap. III. passim* latius dilucidabitur.

XII. Lubet jam aliquantum de origine Juris hujus dispicere: quod quidem jam antiquis seculis in usu fuisse constat; in sacris enim legimus de Ægypti Rege Pharaone, qui in natalitiis suis pincernæ criminis admissi veniam impertiebatur. *Genes. c. 40. v. 21.* De Davide, qui Simei ignoscebat, cum tamen in Majestatem ipsius gravissimè ac enormiter peccasset. *2. Sam. 19. v. 23.* Provocat item Pilatus ad consuetudinem inveteratam, quâ Judæi, Paschatos tempore, captivum, quem vellent, è vinculis impunè dimissum impetrare solebant. *Matth. cap. 27, v. 15.* in memoriam forsan liberationis Patrum ex servitute Ægypti durissimâ. Hanc ipsam autem consuetudinem tanquam irrationalibilem rectè atrô notat carbone Wisenbach *in not. nomic. philol. ad Pass. Christi v. 15.* Talis etiam non immeritò censenda illa quam, apud Romanos obtinuisse refert Plutarchus *in Numa, Oper. tom. 1. c. 10. f.* quando scilicet capitis damnatus ad locum supplicii deducebatur, ipsique obviam fiebat Vestalis Virgo, statim pœnâ liberatus solutusque dimittebatur; ab illâ tamen, forte fortuna se, non data operâ intervenisse, exigebatur jusjurandum. Ex hac observantia originem trahere videtur jus illud, quod Cardinales sibi vendicant, ut obviantes damnato, ipsum pilei seu galeri purpurei impositione pœnæ eximere possint. *Joach. Cluten. Syllog. rer. quotid. conclus. 8. l. g.* Verum hic mos reprobandus, eâ enim ratione, dum absque ullâ cognitione præviâ atrocissimorum delictorum reis conceditur impunitas, alii, qui forte supplicio illius ad bonam frugem fuissent revocati, veniæ spe ad enormissima ac detestabilia quæque invitantur scelera.

XIII. Præterea in profanis Autoribus varia adhuc occurrunt aggratiationis exempla; de Horatio, qui sororem ereptum sibi
spon-

sponsum desidentem interemerat, refert Florus *l. 1. c. 3. n. 5.* quod nefas hoc leges citaverint, sed virtus abstulerit parricidam: *Et l. 4. c. 2. n. 90.* de Afranio demum sublato, quod ei satis ignoverit semel Cæsar: De Cæfare Svetonius *in vit. ips. c. 75.* quod extremo tempore, quibus nondum veniam dederat, cunctis in Italiam redire permiserit; se enim neque libentius facere quidquam, quam supplicibus ignoscere, de se prædicabat Cæsar. Hirtius *in bell. Alexandr. c. 70. n. 3.* De Q. Fabio liberato Livius. *l. 8. c. 35.* Alii alia, vid. Clasen. *c. 3. p. 44. seq.*

XIV. Quamvis autem Juris hujus usus omnino sit antiquissimus, certum tamen tempus, quo cœperit, assignari non potest, nisi ad jura leges ferendi & puniendi ortum ejusdem referre velimus, quod veritati admodum consentaneum est, ex hac ratione; quia ex facultate leges ferendi ultro etiam fuit potestas de iis dispensandi, & contra easdem peccantem, datâ delicti veniâ, supplicio eripiendi, poenam vel tollendo, vel mitigando.

XV. Præterea exiguus sanè legum in Rep. usus existeret, nisi pro variis necessitatibus atque urgentibus circumstantiis à Majestate civili figi, refigi, temperari ac relaxari possent: ad hæc facile eveniunt casus, quibus ratione quâcunqve inserviendum; si igitur forsitan delicti condonatione Reip. promoveri possit emolumentum, cui contra leges fieri nequeat, non video. Accedit, quod clementia salutem atque tranquillitatem non parum juvet Reip. imo vero Imperiorum salus sit certissima. Seneca *de Clement. l. 1. c. 11.* Roborat enim thronum Regis, juxta effatum Salomonis, *Prov. 20. v. 28.* nihilque tam peculiare est Imperialis Majestatis quam humanitas, per quam solam DEI servatur imitatio *l. 27. C. de don. int. vir. Et uxor.* Quapropter qui indulgentiam, clementiam & temporibus inservientem prudentiam Principis Majestatem oppugnare arbitrantur, maximè falluntur: crescit potius ita Majestas, cum nullâ aliâ virtute quam clementiâ majorem se atque diviniorem subditis Princeps facere possit. Etenim duo sunt Imperiorum fundamenta: Auctoritas & Civium Benevolentia: quantum indulgentia Majestati detrahere videtur, tantum ad amorem addit, qui conservandæ publicæ rei non minus inservit, quam illa. Forstner. *ad Tacit. Ann. l. 6. p. m. 435.*

XVI. Hæc autem Clementia effusa nimis esse non debet, namque & hoc in detrimentum Reip. cedere solet, secundum superius
in §. X.

in §. X. & XII. dicta Terminis igitur proverbii illius in l. 6. §. 3. ff. de off. Procons. ἔτε πάντα, ἔτε πάντοτε ἔτε πάντων, contineri, & justitiæ cancellis includi debet. Ita ut Princeps, non quæ ex plenitudine potestatis valet, sed quæ justa ratio concedit, remittendis delictorum pœnis attendat, ne alias justitia & gratia confundantur. Quæ ratione etiam ea, quæ de hujus Aggrat. Juris injustitiâ objici possent, cessant: illa quidem latè examinat Clafen. c. 5. per tot.

CAP. II.

Cui Aggratiandi Jus competat? tradit.

I.

CUM Regalibus, uti supra dictum fuit, annumeretur Aggratiandi Jus, exinde, Imperatori Jura Majestatica cuncta tenenti competere, clarum est. Utrum vero ad ipsum solum spectet, forsitan quæstionis esset; Et quidem olim jus hoc sibi vindicasse Imperatores, colligere licet ex l. 9. §. 11. l. 27. l. 3. pr. ff. de pœn. & aliis juris textibus. v. Stamm. de Servit. personal. l. 3. c. 10. n. 5. atque ita judicasse etiam antiquitatem confirmat Heigius. P. 2. q. 22. n. 6. 7. & 28. suffragatur eidem Tessaur. decis. 21. pr. ubi jus illud soli Principi supremo concessum ait: quem sequitur Farinacius. prax. Crim. L. 1. Tit. 1. qv. 6. n. 2. concl. 1. atque ab hac indulgentia Principes Romanos Divos appellatos esse existimat Petr. Faber. l. 3. c. 16. p. 238. semestr. quem allegat Clafen. c. 6. p. 67. quia per hanc DEI, cujus in terris vicarius esset, Princeps imitaretur misericordiam.

II. Verum hodiè mutato Imperii statu, cumque juxta communem Dd. regulam: quisque Principum tantum possit in territorio suo, quantum Imperator in Imperio: Electores, Principes, Comites, Barones, Civitates Imperii, veniam criminis rectè concedere possunt, vigore scilicet superioritatis territorialis & huic annexorum Regalium, de quibus ab Imperatore sunt investiti. Carpz. Pr. Crim. P. 3. qv. 150. n. 19. seqq. & ad Leg. Reg. Germ. c. 9. sect. 11. n. 24. Reink. de Reg. sec. & Eccles. l. 1. class. 5. c. 6. n. 27. Stamm d. loc. n. 15. 31. & 36. N. A. zu Speyer de anno 1526. §. 6. & 8. idque specialiter confirmat Carpz. c. l. n. 26. ex communi Scabinorum pronunciandi formulâ: wosern der Churf. zu Sachsen un̄ Burgraff zu Magdeburg 2c. unser Gnädigster Herr 2c.

B

vel:

vel: Die hohe Obrigkeit oder Lands-Fürst. Obrigkeit des Orths dem Gefangenen nicht Gnade erzeigen wolte etc.

III. Rectè etiam hoc jure utuntur Vicarij Imp. per text. in *A. B. c. 5.* qvo Palatino & Saxoni provisio Imperii cum potestate Judicia exercendi & beneficia Ecclesiastica presentandi &c. demandatur: Feudis Principū duntaxat exceptis & illis, quæ Fahnlehen vulgariter appellantur, quorum investitura & collatio soli Imperatori vel Regi Rom: specialiter reservatur: expresse insuper interdicitur alienationi seu obligationi rerum Imperial. Cum autem textus ipse præter specialiter expressa nil exceptum velle videatur, cur nos cum Limnæo *Jur. Publ. l. 3. c. 12. n. 82.* Jus aggrat. Serenissimis Vicariis denegare possimus, certè non video: cum enim Imperatorem representent, ideoque etiam in genere in non prohibitis potestas Eorum cum Imperatoriâ eadem erit, & quæcunqve poterit Imperator, ea ipsa quoque regaliter poterunt Vicarii, uti asserit Braudl. *J. P. l. 3. c. 3. num. 15.* Confirmat dicta diploma illud Ruperti Imp. quod exhibet Freher *in not. ad Petr. de Andlo de Imp. Rom. p. 192. & seq.* in quo expressis verbis Ludovico filio Vicario concedit Imperator *potestatem liberam pœnas & multas ratione præviâ imponendi, levandi & ex causis rationalibus augmentandi, minuendi, remittendi in judicio & extra &c. absolutionem concedendi &c. damnatos & depositos ad honores, status, officia, jura pristina in integrum liberè restituendi &c.* Illud ipsum quoque pro hac sententiâ allegat Rumelinus *ad A. B. diff. 4. h. 22.* eoque simul adducit *R. J. de Anno 1525.* ubi Ferdinandus, tunc temporis Vicarius, seditiosos rusticos famæ & honoribus restituit. Atque adeo de hoc nihil dubii residere poterit.

IV: Nec Papæ Rom. jus hoc nostrum denegandum est, quatenus scilicet ut secularis Princeps consideratur; quippe hac ratione in ditionibus, quas possidet, summa habet ac Majestatica jura, & proinde Aggrat. Jus non minus atque alii Principes exercere potest: quatenus vero supremus dicitur Episcopus, rectè ipsi Jus hoc denegatur. Ecclesiastica enim jurisdictio cum non comprehendat Regalia, atque ita nec jus ferendi leges in secularibus, certè nec jus aggrat. habet, quicquid etiam Pontificii adulescentes Papæ adscribant potentia, & de absolutissima in divinis & humanis dispensandi facultate fingant. Reinking. *de Reg. sec. & Eccles. l. 1. Cl. 2. c. 4. n. 50. seqq.* Ex jurisdicti-
one

one civili Jus Aggrat. Cardinalibus quoque tribuit Clafen. c. 10. pag. 106. quod tamen videtur dubium. Quamvis enim certum sit, ipsos gubernatione provinciarum cum exercitio spiritualis & secularis potestatis præfulgere, Becman. Not. dignit. Illustr. Diff. 14. c. 1. n. 6. non tamen exinde, sed potius ex privilegio, cujus c. l. n. 9. mentio fit, jus hoc ipsis relinquere poterit, reprobata tantummodo detestabili ista consuetudine, quæ in superiori cap. §. XII. notata jam fuit.

V. Cum igitur Principis circa gratiam jura expedita sint, merito quaeritur: An etiam gratia fieri possit, si delictum extra territorium commissum, vel delinquens in alieno deprehensus sit? Ex deprehensione enim reum in criminalibus forum sortiri & judicem competentem, notum est. Si itaque in territorio domini, cui est subiectus, capiatur delinquens, Principem suum ipsi gratiam facere pleno jure posse, omni caret dubio: quod si vero hujus subditus in aliena ditione deprehendatur, hoc casu eidem à Principe suo gratiam fieri posse, certè fluctuo; licet enim hic jus gratiæ subdito concedendæ habeat, ille tamen habet jus inquirendi & puniendi, neque pari jure gaudenti alteri necessitatem imponere quis potest: atque adeo is, nisi liberè annuere velit gratiæ domini delinquentis, illa ipsa nullum omnino locum inveniet. E contra quamvis Princeps ille, in cujus districtu & delictum commissum & facinorosus deprehensus est, huic veniam impertitus fuerit, hac tamen non obstante adhuc à domino suo inquisitioni subijci poterit atque puniri; eadem enim ratione gratia illius in hujus præjudicium non extenditur, cum hoc inquirendi & puniendi jus in subditum Principi tribuat locus domicilii. Farinac. Pr. Crim. L. 1. Tit. 1. qv. 7. n. 20. Tessaur. Decis. 90. num. 20. vid. omnino Illustr. Dn. Ott. Henr. L. B. à Friesen *Dissertatio Elegantissima de Jure Princ. extra territorium. c. 2. n. 20. & seqq.*

VI. Quando Regalibus jus Aggrat. accenseri dixi, exinde eos, qui Regalibus investiti non sunt, dicti quoque juris expertes esse, sua spontè sequitur. Heig. P. 2. qv. 22. n. 23. pr. Ex hac ratione cessat in Magistratibus inferioribus, altà licet & illi polleant jurisdictione, ab illa enim ad jurisdictionem territorialem & inde pendentia Regalia nullam dari consequentiam, satis notum est. Ac proinde criminum indulgentiam pro arbitrio suo concedere prohibentur, contra vero

leges & Jctorum pronunciata seqvi tenentur pœnis executioni mandatis. *P. H. D. art. 160. §. und dierweiln 2c.* Legibus enim sunt inferiores, & sic iisdem derogare nequeunt, cum hæc facultas penes eum, qui legū ferendarum potestatem habet, resideat. Et hoc quidem de pœnis ultimi supplicii recte affirmatur. *Carpz. Pr. Crim. P. 3. qv. 150. num. 75.* qvanqvam & hæc limitetur sententia, si scilicet probabilis aliqua & iusta mitigationis causa extiterit, quæ iudicem ad mutandam ordinariam pœnam moveat. *d. qv. n. 69. & seqq. Moller. semestr. l. 1. c. 37. n. 11.* In ceteris vero & extraordinariis pœnis legis rigorem quandòq; mitigare ipsis permissum est, atqve eò respiciunt *Constit. Elect: 8. 32. 43. & c. p. 4. in verb: Daß Er also denn willkührlich/ als mit Faust-abhauen/ Staupenschlagen/ Verweisung/ Gefängnis oder einer Geldbußem öchtegestraft und verurtheilet werden.* Qvamvis autem in arbitrio Magistratus inferioris sit fustigationem in aliam pœnam leviolem commutare, bene tamen monet *Carpz. d. qv. n. 81.* fustigationem in nudam relegationem commutandam esse, quò scilicet vestigium remaneat coërcitionis, cum, provincias ab ejusmodi noxis purgari, publicum commodum svadeat.

VII. Quod pœnas civiles attinet, eas Magistratus inferior merum habens imperium vel in totum vel pro parte remittere potest, atqve ita *Georgio à Döbschütz* responsum fuisse *Mens. Jul. 1629.* confirmat *Carpz. d. qv. n. 90.* und mag hierüber willkührlichen/ entweder drey Wochen lang mit Gefängnis/ oder umb 10. neue Schock in Strafe genommen werden/ es ist euch aber ihme solche Strafe auff beschehene intercessionen/ unbeschadet euerer Gerichte zu lindern oder auch gar zu erlassen unbenommen / *B. R. W.* Secus tamen se res habet in relegatione propter adulterium infligenda, quam nullatenus remitti jubet *Sereniss. Elector in ordinat. Polit. de Anno 1612. Tit. Straff anderer Laster /* quam allegat *Carpz. d. qv. n. 93.* eandemque sententiam restringit *n. 97.* ubi vid. præjudicia.

VIII. Quod si promissione impunitatis confessio eliciatur, illanè reo servando erit? Et quidem si Princeps vel potestatem gratiam largiendi concessam habens veniam promiserit, quin fidem servare debeat, nullum videtur dubium. *Berlich. decis. 61. n. 1.* quia scilicet, si in ullo, in Principe maximè contravenire dictis reprobatur. Veruntamen id in delictis enormibus & atrocioribus, e. g. latrocinio, perduel-

duellione &c. procedere, negare malle cum Dn. Struv. 'S. J. C. Ex. XLIX. §. 89. q. 1. cum eo ipso commodo publico, cujus rationem Pps. habere debet maximam, non prospiciatur, ipseque insuper conscientia suae notam inferat; poterit tamen forte mitigationem aliqualem concedere, totalis licet promissa fuerit remissio. Utrum enim, an veracitas Ppis, an vero commodum publicum sit praferendum, salvo cujusvis iudicio relinquo.

IX. Magistratus inferiores quod concernit, eorum circa impunitatem promissionem nullam esse, manifestum arbitror, quia nimirum penes ipsos gratiae concedendae facultas residet nulla, cum igitur hac ratione impossibile spondeant, pro nullo recte habetur, *arg. l. 14. ff. de condit. Instit.* Jus publicum enim privatorum pacis mutari non potest, *l. 38. ff. de pact.*: ac proinde sibi reus imputare debet, quod tali promissioni credidit. *Jul. Clar. l. 5. sentent. §. ult. qv. 55. vers. circa secundum.* quem allegat *Carpz. P. 3. qv. 149. n. 4.* *Finckelthaus. Observ. Pract. 105. n. 26. add. noviss. Decis. Elector. ult.*

X. Impunitatem autem promissam nequaquam servandam dixi, ordinariam tamen mitiorem poenam tunc irrogandam esse, eam, quam *Carpz. d. qv. 149. n. 20.* tradit, nititur ratione: Quod confessio falsa ejusmodi ac fraudulentam promissione extorta libera ac spontanea non sit, qualem tamen sententia condemnatoria requirat, unde & certo temporis spacio elapso, quae in tormentis confessi sunt, repetere debere inquisitos, ne quid eorum metu extortum videatur, docet *Faber in Cod. l. 9. tit. 21. def. 18.* quapropter ad ordinaria poena recte recedi potest; atque huc facit *Responsum illud de Anno 1590.* quod *Carpz. d. qv. num. 17.* adducit: *Es wäre denn daß ihr ihme/ daß für sich aus euerer Frage und denen Benlagen ansehen läßet/ zugesaget hättet/ daß es des obbedachten Brandschadens halber / wofern er denselben und wie es darun bewant/ gürtlichen bekennen würde/ bey dem Schwert bleiben solte/ auff den Fall würde ihm die Strafe der Gestalt auch billich gelindert. B. N. W.* Quod si vero conjecturae ac praesumptiones aliae sint tantae, ut per se solae plenam probationem faciant, ita ut spontaneam confessionem non opus sit, illaeque ad condemnationem sufficiant, ordinaria poena iuste procedit, & tale *Scabinorum Lips. de Anno 1612. Responsum* affert *Berlich. decis. 61. n. 13.* quod in fine ita habet: *Diemeil aber dennoch Ihr euch nicht auff des Gefangenen confession beruffet*

beruffet / sondern andere Nachrichtung in die Hand bracht / so
seyd ihr wider ermelten H. M. mit der angefangenen inquisition zu
verfahren / und ihn / im Fall er der Deuben wie zu Naht übersühret
würde / euer gethanen Zusage ungeachtet / mit der ordentlichen Strafs
se zubelegen wohl befugt. B. N. B. Cum vero ejusmodi promissi-
ones in perniciem Reip. tendentes sint odiosæ, variæque aliàs den-
tur probationum species, longè sanè consultius erit promissiones e-
jusmodi planè omittere, quam ob' elicitam persuasionibus hisce
confessionem sanctissimarum legum vigori derogare. Carpz. d.
qv. num. 3.

XI. Haud incommode jam disquiritur: An, si clericus veniam
criminis capitalis à Ppe impetraverit, adhuc conveniri ipse possit
apud judicem Ecclesiasticum & ab eodem condemnari? Ppem cle-
rico non minus atqve laico criminis veniam impertiri posse satis ex-
peditum est, quippe qui dominus totius Reip. atqve territorii sui ex-
istit, in quo uterqve degit. Faber in Cod. l. 9. Tit. 28. def. 2. quapropter
cum ipse solus gratiam facere possit, eam etiam judicis Ecclesiastici
sententia interpellare minimè valebit, præprimis apud orthodoxos
Ppes, quibus vigore decreti Passaviensis Jurisdictio Ecclesiastica o-
mnis cum jure Episcopali restituta est. Carpz. Jurispr. Consist. L. 3. Tit.
3. Def. 1. n. 7. 21. & 22. atqve adeò legitimè veniã impetratã neutiqam
reconveniri poterit reus. Cum vero quandoqve corporalis loco
pœna pecuniaria imponi soleat, non immerito, an ea fisco Ecclesiasti-
co, an vero Ppis seu Magistratus condemnantis inferenda sit, quæri-
tur? Jurisdictionem enim Ecclesiasticam, seu Consistorialem ad
causas criminales non extendi, quamvis in personalibus ea in cleri-
cos sit alias fundata, patet ex Ordinat. Eccles. El. Sax. tit. von immuni-
tatibus und Freyheiten der Kirchendiener / S. was aber ihn. vers. aber
die Hohen. Carpz. ib. tit. 1. def. 1. n. 2. 3. 4. & bassa tantummodo Jurisdi-
ctio, non alta Consistoriis videtur concessa, uti ex Hieron. Schurff.
cent. 1. conf. 26. n. 2. & aliis docet Carpz. l. 2. Jpr. Cons. d. 231. n. 16. quam-
vis Pontifex Bonifacius VIII. clericos jure divino pariter atqve hu-
mano seculari potestati exemptos voluerit in cap. quanquam X. de
censib. quem sequuntur pontificii quamplurimi, quorum potiores
habet Carpz. d. def. 3. n. 6. atq; in seqq. n. 7. & 8. ex textibus cum Juris Di-
vini tum Civilis, aliisqve eleganter refellit. Propterea neque et-
iam

iam hic moror ea, quæ de punitione clericorum tradit Julius Clarus in *Pract. Crim. qv. 36. n. 34. & seqq.* quod scilicet persona Ecclesiastica non possit nisi ab Ecclesiastico Magistratu puniri, & tum demum à seculari iudice, si sit incorrigibilis declarata, degradata insuper & tradita curiæ seculari, quamvis degradatio (cujus exemplum apud Sleidanum *de Statu Rel. & Reip. sub Carolo V. l. 4. p. 54.* occurrit) in tribus tantummodo criminibus locum habeat: hæreseos scilicet, falsi commissi in literis Apostolicis & conspiracy in proprium Episcopum: in ceteris delictis sola sufficiat depositio absqve degradatione, ita ut, quamvis clericus summum occiderit Pontificem, non tamen debeat degradari, si paratus sit se corrigere, sed detrudi in carcerem perpetuum seu monasterium, alleg. huc Boss. in *tit. de for. compet. n. 136.* Contrarium tamen in praxi observari, & clericum pro homicidio vel alio delicto enormi tradendum esse curiæ seculari rectius affirmat cum plurimis citatis Aut. *d. qv. n. 40.* Cum itaqve, quod gratia à Ppe solo, sive in iudicio Ecclesiastico sive seculari conventus quis fuerit, fieri possit, evictum jam sit, hoc quoqve casu, si pœnam pecuniariam corporalis loco imposuerit, penes ipsum erit, cui fisco illam tribui velit, atqve sic seculari licet adjudicari, non tamen eapropter reus à iudice Ecclesiastico in ultiores impensas condemnari poterit. Rectius autem visum fuit Fabro in *Cod. d. l. def. 2.* pœnam illam fisco Ecclesiastico applicari, ne ejus conditio hac ratione fiat deterior, & quia commune delictum, injuriam aliquam patiatur.

XII. Non rarò evenire solet, ut condemnato in pœnam pecuniariam parti numerandã propter egestatem ad instantiam illius irrogetur corporis afflictiva, secundum vulgatum illud: *qui non habet in are, luat in corpore. l. 1. §. 3. inf. ff. de pœn.* Marta Neap. *Dig. Nov. tom. 2. tit. pœna. c. 66.* Quidsi igitur hujus corporalis pœnæ remissionem à Ppe impetraverit damnatus, an ea valebit; si pars contradicat? videtur quidem pro parte dicendum, ea siquidem injuriam passa fuit, pro qua ipsi satisfieri debet, Jul. Clar. in *Pr. Cr. qv. 80. n. 7.* nec Pps plenitudine potestatis suæ uti debet in præjudicium subditorum, Bald. in *l. 1. §. cum autem C. de caduc. tollend.* quem allegat Arum. *l. 2. dec. 6. n. 37.* neqve negandum respectu pœnæ pecuniariæ interesse partis; quod tamen post factam commutationem ejusdem in corporalem desit.

Qvo-

Quoniam igitur vel capitalis, vel alius cujuscunqve corporalis pœ-
næ persecutio non ad accusatoris utilitatem privatamqve vindi-
ctam pertinet, sed eam publicæ disciplinæ vigor postulat. *l. 9. §. 5. ff. de public. & vectigal.* exinde, parte licet invitâ, rectè tamen, si justæ adsint liberationis causæ, à Ppe reum pœnæ eximi posse, firmiter concludo. Myler. *de Stat. Imp. P. 2. c. 50. n. 20. pr.*

XIII. Alia jam suboritur quæstio: An is, cui Pps gratiam homicidii fecit, eâ non obstante, ab occisi consanguineis accusari queat? Quod omnino affirmandum; gratia enim illa Ppis jus parti offensæ ex delicto acquisitum neutiquam adimit. *l. 2. C. de in jus voc.* Cum & clausula: *salvo jure tertii*, vel similis apponi soleat concessionibus istis. Mastrill. *dec. 205. n. 5.* Tessaur. *decis. 21. n. 2.* & gratia illa delicti pœnam tantummodo remittat, non tamen id quod interest partis auferat, cum hoc privatum sit, illud vero publicum. Atqve talis fuit gloriosiss. memoriæ Electoris Augusti sententia, quando, cum cui-dam, qui capitaneum ex suis interemerat, pœnam mortis ad plurimorum intercessionem remitteret, superaddidit: *Jus quidem suum se homicida remittere, vidua autem & heredum interempti se remittere nec posse, nec velle.* Moller. *Semestr. l. 3. c. 31. n. 1.* Quapropter etiam accusatio subsequens gratiam quidem annihilare non poterit, interim tamen, quod inde sibi debetur, exquiret, nisi fortè sub vel obreptitia gratia impetrata fuerit, quo casu ea penitus concidet & nullius erit valoris. Mastril. *d. dec. n. 12.* Rectè igitur Heig. *P. 2. qu. 24. n. 18.* *Laudabiliter*, inquit, *Ppes facere, qui delictorum veniam reis non concedunt, priusquam cum parte offensæ facta fuerit reconciliatio.* Est namqve hoc, quod commodum Reip. svadet, & publica tranquillitas, quæ facile turbaretur, si forsan offenso occurreret is, qui læsit, indeqve oborirentur convitia, quæ mox verbera & vulnera imò vel exitiosissimi subsequerentur tumultus. Quodsi itaqve evenerit, ut, gratiâ jam factâ, occisi proximè agnatus forsan aggratiatum denuò accuset, res ita componenda erit, ut vel certo pretio soluto, vel alio quovis modo reus offenso reconcilietur, illud tamen precium arbitrio magistratus attemperari poterit, quo præstito, parte licet recufante, cum calumniosè facere præsumatur, penitus is obsolvitur. Tessaur. *Decis. 21. n. 3.*

XIV. Factâ in præcedentibus mentione gratiæ sub- & obreptitiæ,

cia, investigandum paucis arbitror, quidnam eam talem reddat? Et
quidem, cum gratiam impetraturus factum cum omnibus circum-
stantiis ac qualitatibus, nec non poenam promeritam explanare de-
beat, hisque jungere causas quasdam ad supplicii condonationem
moventes, subreptitia erit, si in supplicatione non expressus verus
causae status & circumstantiae enarratae sint omnes eae, quae expositae
Principem vel a concessione gratiae retraxissent, vel facilem atque
largam indulgentiam impediissent. Mascard. *de probat. concl.* 847.
Farinac. *Conf.* 3. n. 10. & *Conf.* 77. n. 12. ne utiquequam autem subreptio in-
ducitur ex taciturnitate eorum, quibus expressis facilius rescriptum
concessum fuisset. Cravett. *conf.* 2. n. 19. discernendum tamen, an do-
lo, an per ignorantiam quid omissum fuerit, si per ignorantiam, quae
in dubio praesumitur, Bald. *conf.* 300. nec agitur de praesudicio tertii,
subreptio non vitiat; unde & quoad hanc personae rusticae facilius
ignoscitur. Cravett. *d. conf.* n. 15. uti nec sub-vel obreptio gratiam im-
pedit, quando constat de mente Principis, quod omnino alias con-
cessisset. *ib.* n. 14. Ceterum dolose impetrata gratia nulla omnino est &
ipso jure invalida. Farinac. *Conf.* 47. n. 15. *inf.* Berlich. *dec.* 182. n. 11. ita,
ut si quis antea poterat occidi; ita etiam post gratiam. Mastrill. *dec.*
205. n. 13. Quin tamen Princeps per subsequentem consensum gra-
tiam integrare possit, non videtur dubitandum, si scilicet iustae ad-
huc moveant causae, quibus concurrentibus haud indignè repe-
tetur.

CAP. III.

In quibus delictis Aggrat. Jus locum habeat?
exponit.

I.

IN antecessum hic monendum duco, esse quasdam circumstantias,
quae ipsa lege dictitante poenae veniam delictis aut in totum aut
in tantum largiantur, aut factum delictorum e censu plane ex-
imant. Quae licet ad *Præmissa*, quae legem interpretatur, & Juris-
dictionalia potius spectent, quam Jus Aggratiandi & Regalia, quia
tamen & ab his plane alienae non sunt, placuit & eas hic paucis enar-
rare. In his primo est Infantia: in qua cum cesset omnis *negotiorum*
& pec-

& peccandi voluntas. l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil. iudicium quippe in infantibus infirmisimum & consilium nullum l. 12. ff. ad L. Corn. de sic ar. ita ut delictum etiam ab his commissum dici nequeat, proinde & iure omnis cessabit poena. Secus se res habet in pubertati proximis, qui crimine obligantur ob id, quod delinquere se intelligant. §. 18. I. de obl. q. ex del. nasc. l. 7. C. de pœn. suntque capaces doli atque injuriæ faciendæ, l. 111. ff. de R. J. quanquam pro causæ ac circumstantiarum ratione poenas mitigare iudici permissum sit, nisi crimen sit atrocissimum & delinquentis malitia usque adeo magna, ut ætatis defectum suppleat, nec correctio aliqua speranda. P. H. D. art. 164. Carpz. Pr. Crim. P. 2. qv. 82. n. 19. & P. 3. qv. 143. n. 53. f. Id: P. 4. C. 38. Def. 9. Minoribus vero in delictis nequaquam subveniri, expressa sunt verba in l. 9. §. 2. ff. de minor. existentibus tamen ejusmodi circumstantiis, quæ mitigationem svadeant, vel etiam quandoque ex miseratione ætatis iudex ad mediocrem poenam commoveri potest, l. 37. §. 1. ff. eod. Accommodata huic rei præjudicia habet Carpz. d. qv. 143. n. 72. & seqq. & n. 82. & seqq.

II. An & senibus & ætate proæctis ignoscendum vel moderatio poenæ concedenda erit? Negativa suo stat talo, cum nullibi in iure nostro de iisdem expressè dispositum quid reperiamus, concludente Carpz. P. 3. qv. 144. n. 12. & seqq. ibique n. 21. 22. vid. præjudicia, quibus & in septuagenarios, ordinariam poenam statutam fuisse confirmat, ex istis maximè notabile, quod d. l. n. 23. refert Responsum Quæstori Chemnizensi Mens. Aug. Anno 1617. datum: Gladii poenâ plectendum esse adulterum maritum LXXXVII. annorum, qui cum ancilla sua concubuerat, eamque imprægnaverat. Quamvis enim senes repuerasce-re dicantur, atque exinde, cum iudicium in ipsis deficiat, bonamque consilii mentisque partem jam amiserint, etiam pariter cum pueris à rigore poenæ eximendos atque clementius plectendos velit Tiracvellus de pœn. temp. caus. 8. n. 7. non tamen indistinctè ita affirmare ausim, eo quod plurimos septuaginta & plurium annorum sapientes, robustos ac perspicaces esse tota die videamus, neque etiam ob senectutem à contractibus aliisque arceantur ipsi Carpz. d. qv. n. 20. Haudquaquam tamen negari potest, senes quandoque mitius puniri, uti observatum docet Jul. Clar. in pr. Cr. §. ult. qv. 60. ii scilicet, qui ætate sunt decrepitâ adeoque infirmâ, ut consilii partem maximam amississe,

amisse, atque sic ex mentis potius alienatione quam dolo peccare videantur. *l. 3. §. 7. ff. de SCro Silanian.* qui & ipsi pueris rectè æquiparantur, atque hac ratione mitigationem merentur, quod præjud. nonnullis confirmat Carpz. *d. qv. n. 38. & 39.* sic & ipsi ob defectum virium vitæque periculum tormentis & pœnis corporis afflictivis eximi solent. *d. qv. n. 26. & seqq.*

III. Pari ratione & imbecillitatem corporis & evidens vitæ discrimen valetudinarios pœnis haud plecti corporis afflictivis luculenter demonstrat Carpz. *c. l. n. 40. & seqq.* ubi & in hunc casum Jctorum pronunciata. Fallit tamen hoc in pœnis ultimi supplicii, quæ ægrotis nihilominus infliguntur, sicut & non remittuntur corporis afflictivæ, morbi si sint mox curabiles: quæ etiam differri solent, ex gr. prægnanti infligendæ, uti patet & *c. l. 18. ff. de stat. hom. l. 3. ff. de pœn. & d. qv. n. 52. & seqq. & qv. 137. n. 22.*

IV. Porro venia pœnæ conceditur Surdis & Mutis simul, quod quidem non universaliter verum, sed in eo saltem muto & surdo procedit, in quo apparet, nullum quod habeat intellectum, quem scilicet signis exprimere vel demonstrare possit, quo casu rectè infanti æquiparatur & ex delicto puniri non debet, quia absque dolo commisisse censetur. *l. 1. C. ad L. Corn. de Sicar. l. 53. p. ff. de furt.* Longè aliter se res habet in illo, qui intellectum & judicium habere deprehenditur ex eo, quod res indigitare certisque signis externis distinguere novit, & huic pœna ordinaria rectè irrogabitur, ita tamen, ut etiam de crimine commisso testibus convictus sit, vel literas callens in scriptis confessionem declararit. Farinac. *P. 3. qv. 98. caus. 17. num. 163.*

V. Pœnæ præterea eximuntur Noctambuli, inde dicti, quod noctu passim vagari soleant. Ab his si delictum aliquod committatur, non rigore pœnæ id vindicandum, sed potius ignoscendum ipsis esse optima svadet ratio, cum per ignorantiam agant, imo mortuis & furiosis benè comparentur, qui, quid faciant, nullum habent judicium, nec rationis usum. *l. 1. §. 3. ff. de acquir. vel amitt. poss. l. 31. §. 3. ff. de usurp. & usuc.* Attamen, si talis surgere & lædere solitum se sciat, neque caveat, extraordinariæ pœnæ subjici potest, quoniam culpa aliqua factum aggravat, quam consilio dimovere futuroque periculo consulere potuisset. Tir. de pœn. *temp. caus. 5. n. 10.* Dn. Struv. *S. J. C. Ex. XLIX. §. 10. n. 2. f.*

VI. Sunt & furiosi à pœna exempti, qui scilicet in ipso furore (qui probandus, l. 2. C. qui testam. fac. poss.) delictum aliquod commiserunt. Namque in maleficiis voluntas & animus spectatur, l. 1. §. 3. & l. 14. ff. ad L. Corn. de Sicar. qui in furiosis omnino abest & sicut infantes dolo carent. l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil. Ubi autem dolus nullus, ibi nec maleficium, & per consequens nec pœna locum invenit. Secus si suâ culpâ quis in furorem inciderit. Carpz. P. 3. qv. 145. n. 1. ad n. 51. An furiosus ob delictum ante furorem commissum in furore ipso ultimo afficiendus sit supplicio, disceptatur? Mitiùs autem cum eo agendum, ob periculum animæ ipsius, & quod fortè justas defensionis causas, quas quidem in furore constitutus allegare non valet, habeat; aut pœnam in id tempus, quo sanam mentem receperit, differendam esse statuo cum Gœhausen. part. 3. peric. 6. qv. acad. 33. Mitigationem etiam aliquam non totalem pœnæ remissionem merentur in summo gradu Melancholici, d. qv. n. 53. Alia siquidem est furiosorum ratio, qui intellectu omni privati, judiciique expertes sunt. Quamvis enim multum illos afficiat tristitia, animosque eorum cruciatibus perturbet miserrimis, non tamen totam inducit mentis alienationem, nec intellectu eos penitus privat, ut, quin voluntariè & ex malitia quaedam delinqvant, dubium non sit. Heig. P. 2. qv. 38. n. 43. cit. Carpz. d. qv. n. 59.

VII. Num & Ira, quam Horatius l. 1. Ep. 2. furorem brevem appellat, mitigationem pœnæ causabit? Sanè, nisi ista probata fuerit talis, quæ simul mentem & cogitationes obcecarit omnes, ita ut quis suus non esset, (quæ quidem probatio admodum difficilis est) Carpz. P. 3. qv. 147. n. 60. & 61. nullam omnino consequetur mitigationem, qui aliquem occidit, vel aliud simile capitale crimen irâ concitatus commisit. Ea tamen ex justo dolore si proficiatur, veluti si quis uxorem in ad ulterio comprehensam, Tiraqv. de pœn. temp. caus. 1. n. 3. vel provocantem seu armis adorientem interemerit, vel gratiam commissi, l. 2. 3. 4. C. ad L. Corn. de Sicar. vel tamen mitigationem pœnæ obtinebit. Difficillimum namque justum dolorem temperare. l. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de adult. l. 1. §. 3. 4. 5. ff. ad L. Corn. de Sicar. Carpz. P. 1. qv. 28. & seqq.

VIII. Qui præ nimio ardentiorique amore quicquam deliquit, levius puniri nedum impunitum relinqui debere putat Tiraqv. d. tr. caus.

caus. 4. num. 3. quod non ex animi sententia, sed furore concitatus id ipsum admiserit. Quod concedendum ipsi putaverim, si improvise quodam libidinis & amoris furore ac impetu quis quid commiserit, de quo Aristot. *l. 2. magn. moral. c. 4.* qui, cum amantes obsecrare soleat, licet uno magis tempore, quam alio, ideo juxta temporis qualitatem & animi perturbationem cum Reo mitius agendum erit. Carpz. *Pr. Crim. qv. 61. num. 59. 60. & seqq.* Aliud statuendum, si quis impetu ac furore cessante ex causa amoris premeditatum delictum committat Farinac. *Pr. crim. P. 3. qv. 98. cap. 13. num. 89.*

IX. Sed quid de Ebrietate dicendum? Ea quidem si fuerit tam enormis, ut mentis alienationem induxerit, qua ratione furiosis haud dissimiles sunt inebriati, cum peccent ex ebrietate magis, quam ex studio & industria, Tiraqvell. *d. tr. caus. 6. n. 3.* benignius erunt plectendi *l. 6. §. 7. inf. ff. de re milit.* uti imperator ipse de se inconvenientia predicantibus ignoscit inebriatis *in l. un. C. si quis Imperat.* Quod si vero dolo malo ebrietatem aliquis contraxerit, vel cum interempto inimicitias hucusque habuerit, aut sciens inebriatum se alios offendere nihilominus excesserit, imo vel delicti ipsum non poenituerit, nullam sane dignus erit gratiam. Dolo enim crimen perpetrasse censetur, Tiraqvell. *d. l. n. 10.* Carpz. *P. 3. qv. 146. n. 55. & seqq.* Et quando ebrietatem enormem dixi levem & modicam penitus rejectam nec quicquam ad poenae moderationem conducere eam volui. *d. qv. num. 49.*

X. Homicidas causales leges divinae atque humanae excusant poenaeque eximunt. *Exod. 21. v. 13. Deuteron. 19. v. 45. & al. S. Cod. text.* Crimen enim contrahitur, uti jam saepius dictum, si voluntas nocendi intercedat; ea vero, quae ex improvise casu potius quam fraude accidunt, fato plerumque non noxae imputantur. *l. 1. C. ad L. Corn. de Sicar. l. 1. §. 3. ff. eod. l. 11. pr. ff. ad L. Aquil. Constit. Crim. Car. V. art. 146.* Idem de jure Saxonico obtinet praeterquam quod homicida casualis ad Wergeldi solutionem adigitur, quamvis adhuc distinguatur inter casum fortuitum, quando non praecedit aliqua causa dependens ab eo, cui ipse casus imputandus est, & casum improvise, quem culpa aliqua antecedit: hoc casu Wergeldi solutionem exigi, illo vero minus, tradit Carpz. subjunctis in utrumque casum praedictis, *P. 1. qv. 27. num. 54. & seqq.* Secundum priorem casum nec ab athleta, qui forte

forte in pugilatione quem trucidârit, Wergeldum peti posse confir-
mat Idem *Decif. 296. n. 29. seqq* Wergeldum autem, alias Manngeld/
Sühngeld/ est Summa sexaginta solidorum, i. e. viginti thalerorum
Imperial. quod heredibus interempti, si masculus, integrum: si fœ-
mina, dimidium exsolvi oportet. *P. 4. C. 11. Def. 5.*

XI. Et hæc de causis propter quas ex capite justitiæ Leges pœ-
narum veniã aut mitigationem indulgent. Nunc quid ex capite gra-
tiæ, quod scopo nostro propius, possit princeps circa delicta, viden-
dum ubi suprâ data *in c. 1. §. XI.* distinctio repetenda: dividebatur
namque gratia in plenã & minus plenam, erit itaque res clara, si deli-
cta eorumque pœnas spectemus, quarum quidem alias jus Divinum,
alias LL. humanæ sanciverunt: in his laxior Ppum potestas est, & vel
plenam gratiam fontibus impertiri utique licet; in illis vero ut maxi-
me restricta, (ne vel nullam dicam) pœnasque non nisi ex pondero-
sissimis rationibus ex aliqua saltem parte mitigare permissum. Quem-
admodû enim inferior superioris legi derogare neutiqvam potest; ita
& Principem hic necesse est legislatorem suum DEUM & naturam a-
gnoscere, eidemque se submittere. Dn. Ziegl. *de Jur. Maj. Ex. 4. §. 24.*
debet enim Decalogum & præcepta Divina tueri, pœnas prome-
ritas reis infligere, Stamm. *de servit. personal. l. 3. c. 8. num. 36.* non vero
pro lubitu gratiam concedendo eadem eludere. Sanctissimæ quippe
DEI voluntati & sanctionibus justissimis humanum Magistratum, ne-
fas sanè est contradicere.

XII. Quare severâ vindicari pœnã & nullatenus remitti de-
bent: Blasphemia in DEUM commissa *Levit. 24. v. 14. seqq. N. 77.*
C. 1. §. 1. P. H. G. D. art. 106 Idololatria, Magia, Sortilegium: *Exod.*
22. v. 18. & 20. Levit. 20. v. 27. Deut. 13. v. 8. 9. 10. §. 5. f. I. de publ. Jud.
& tot. fere tit. C. de Malef. & Mathemat. Homicidium dolosum & de-
liberatum: Parricidium &c. *Gen. 9. v. 5. 6. Exod. 21. v. 12. Levit. 24. v.*
17. Num. 35. v. 31. & 33. Deuter. 19. v. 12. 13. Matth. 26. v. 52. l. 9. §. 1. l. pen.
ff. ad L. Pomp. de parricid. l. un. C. de his qui par. vel lib. occid. P. H. G.
D. art. 137. Latrocinium, Rapina &c. *Ezech. 18. v. 10. & 13. l. 28. §. 15.*
ff. de pœn. P. H. G. D. art. 130. Sodomia *Exod. 22. v. 19. Levit. 20. v. 13.*
& 15. Caus. 15. qv. 1. can. 4. §. 4. l. de publ. Jud. l. 31. C. ad l. Jul. de Adult.
Nov. 77. C. 1. pr. P. H. G. D. art. 116. Incestus maximè inter ascenden-
tes & descendentes: *Levit. 20. v. 11. & seqq. Deut. 22. v. 30. cap. 11. caus.*
32. qv.

32. qv. 7. Adulterium. *Levit. 28. v. 10. Deuter. 22. v. 22. §. 4. l. de publ. jud. lib. 30. §. 1. C. ad L. Jul. de adult. P. S. G. D. art. 120. Constit. Elect. Sax. Aug. 19. in pr. p. 4. Digamia Gen. 2. v. 22. & seqq. Matth. 19. v. 5. Marc. 10. v. 7. 1. Cor. 7. v. 2. Ephes. 5. v. 28. 31. & 33. auth. hodie C. d. repud. Nov. 117. c. u. P. S. G. D. art. 121. constit. El. Aug. 20. in pr. p. 4.* Princeps igitur prudens in his atqve similibus delictis, & pœnis ad Decalogi tuitionem spectantibus, urgentissimis nisi nonnunquam rem mutantibus circumstantiis motus, dispensare salvâ conscientia non poterit.

XIII. Liberior contra gratia ipsius erit circa ea delicta, quæ Jure Divinô capitali pœnâ non sunt notata: Quale est Furtum; ejus namqve pœna secundum LL. Sacri Codicis, pro ratione admissi, vel simpli, vel quadrupli, vel etiam septupli est. *Exod. 22. v. 1. nec jure civili capitalis. §. 5. 7. de oblig. qvæ ex del. l. 46. §. 2. ff. de furt.* Jure vero novissimo pœna laquei constituta. *P. S. G. D. art. 159.* Tale est venatio ferarum, quæ jure Civili ut maxime erat licita, *l. 3. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* Jure tamen Imperii consuetudinario itemqve Saxonico privatis adempta. *Carpz. P. 2. qv. 84, n. 34.* Tale quoqve est crimen Maledicentiæ, *l. un. C. si quis Imp. maled.* In his atqve similibus licita Ppis gratia sive plena sive minus plena locum habere poterit. *Myler. de stat. Imp. P. 2. c. 50. num. 19. & 20.* quamvis nec omnem delicti tam qualitatis quam circumstantiarum rationem semotam hinc velim, ne scilicet indulgentiâ & facilitate nimia legem prorsus in desuetudinem abire faciat, subditisque peccandi liberius occasionem præbeat Pps, cum alias magna sit illecebra spes impunitatis. *Dn. Ziegler. d. Ex. 4. §. 21. & 22.*

XIV. Rectè colligitur ex dictis, quod gratiam impetraturus delictum cum omnibus circumstantiis exprimere debeat, nulla alias regulariter ea censetur, cum gratia justa justas requirat causas, quæ tales revera esse nequeunt, nisi delicti qualitas ritè inspiciatur. De hoc verò quoniam *in cap. preced. §. XIV.* latius dictum fuit, amplius me hîc diffundere supersedeo.

XV. Num & gratia ad certam pœnam restricta ad aliam extendi debet? Si scilicet ultimo supplicio afficiendus gratiam impetrârit, anne & mitiori eximendus erit pœnæ impunitusqve dimitendus? Equidem, si capitalis remissa fuerit pœna, non statim levior

qvæ

quæcunqve censetur remissa, cum ut plurimum evenire soleat, ut per Principis indulgentiam gravior pœna commutetur in mitiorem, nec omnino liberetur, qui omnino perire debuerat. Quandoquidem misericordia Principis ad Divinæ misericordiæ exemplum nonnullam habere debeat justitiæ rationem. Ipsa igitur inspicienda erit aggratiatio, quæ si ad quascunqve pœnæ species extendatur, reus quoque penitus liberabitur, sin minus, mitiori tamen castigandus erit: nisi gratiam interpretatione adjuvare potius, quam restringere velimus. Faber in *Cod. L. 9. Tit. 28. def. 1. Testaur. Decis. 21. num. 2.*

XVI. Missis hisce, unam vel alteram ad mitigationem fortè conducentem causam subnectemus. Quidsi igitur delinquens seriâ pœnitentiâ ductus ultrò Magistratui se offerat, crimenqve confessus veniam deprecetur, ane hoc casu ipsi indulgendum erit? Elegans est illud Aristotelis. *3. Ethic. 1. 2.* effatum: (alleg. Dn. Struv. *S. J. C. Ex. XLIX. §. 89. n. 2.*) *Pœnitentiam excusare in iis duntaxat delictis, quæ quis non tantum ignorans, sed & per ignorantiam admisit, non admissurus prorsus, si actionis circumstantias novisset.* Interim tamen, quia semper cum spontè confesso, quam convicto, mitius agendum, imple etiam moderatione haud indignus erit. Carpz. *P. 3. qv. 149. n. 23. & seqq.* signum quippe infirmitatis est statim in ipso facto concomitans pœnitentia; cum ex imbecillitate magis peccet is, in quo sana mens statim rediens malum commissum ob oculos ponit. Regulariter tamen illud non procedit, sed in arbitrio iudicis est, temperare pœnam velit, nec ne; cum illud ob criminis atrocitatem aliasqve causas rectè adhuc denegetur, *d. qv. n. 36.* Qvodsi tamen, antequam in vincula conjiciatur, spontè confiteatur reus, *d. l. n. 41.* pro qualitate delicti & confessionis ratione pœna erit mitiganda, velut rotæ in gladii supplicium, vel gladii in fustigationis pœnam. *d. qv. n. 31. & seqq. & P. 1. qv. 49. n. 72. & seqq.*

XVII. Veniam quoque merebitur is, qui ultro sociorum delicta & machinationes detegit, imò penitus absolvetur & pro ratione detectæ factionis præmiis quoque donabitur. *l. 5. §. fin. C. ad L. Jul. Majest. A. B. C. 24. n. 7.* Nec immeritò, cum prodicione sic factâ in ceteros facinorosos inquiri, probisve consiliis ulteriori malo & imminenti exinde Reip. periculo occurri possit. Neque etiam gratia iis vide-

videtur simpliciter deneganda, *arg. d. l. 5. qui & carceri jam traditi*,
criminis socios tum demum detegunt.

XVIII. Mitigatur etiam poena ob diutinam in vinculis detenti-
onem. *l. 23. C. de poen.* requiritur tamen, ut reus non suam culpam moram
traxerit, negando videlicet delictum, quod sibi imputare debet;
Sed ut iudicis moram tamdiu incarceratus fuerit, alias enim nullatenus
mitigationem impetrabit.

XIX. Multum controvertitur inter Dd. An ad intercessionem pu-
ellae vel viri condemnatum condemnatamve in matrimonium petentis
a poena reus vel rea liberari debeat. Cum aliis negativam tuentibus ma-
xime se opponit Bachov. *ad Treutl. v. 2. D. 30. lit. g. circa fin.* hac potissimum
plausibili quidem ratione: quod si scilicet conjux intercessione sua a
supplicio capitis conjugem liberare non possit, excepto speciali casu,
in terris Elect. Sax, adulterii simplicis, juxta *const. 19. p. 4.*) quanto mi-
nus puella aut impudens aliquod scortum procaci sua petitione impe-
trare id debeat: illamque praeterea non tam faciliam quam injurio-
sam potius in matrimonium a Deo sancitum dicit rationem: quod u-
xorem ducere aequalis morti poena reputetur. Haec tamen ratio non
simpliciter de matrimonio, sed de eo cum scorto, vel depravata mu-
liercula contrahendo, pari que de casu desumpta est. Quicquid et-
iam sit, non tamen negandum, praesertim si aliae concurrant circum-
stantiae, gratiam delinquenti fieri posse, quod quidem arbitrio solius
iudicis superioris relinquitur. *Carpz. P. 3. qv. 149. num. 53. & seqq.* ubi
etiam hunc in casum diversa recenset praesudicia. Nec vero hac rati-
one penitus liberatur reus, sed plerumque perpetuam relegationem
adhuc subire cogitur, & simul pars liberans & innocens nocentem se-
quitur, uti ex *c. l. & Responsis* satis apparet. *Vid. Resul. Delib. Jur. Cas. post cit.*

XX. Vexata etiam quaestio est: An si rupto laqueo sit vivus in
terram decidat, ipse liberandus sit? Distinctione res expedita erit:
an scilicet acciderit culpam carnificis, an casu fortuito seu miraculoso.
Priori ratione neutiquam differenda erit executio, cum sententiae
satisfieri debeat, quae talis esse solet: *So möchte er wegen solches sei-
nes begangenen und bekannten Verbrechens mit dem Strange vom
Leben zum Tode gebracht und gestrafft werden.* Hanc sane culpa &
negligentia carnificis impedire minimè valet. *Ungep. Exercit. Justin.
13. qv. 5.* prout nec etiam liberatur ita vulneratus, ut possit sanitati ad-
huc restitui, sed capite nihilominus plectitur. *Berens ad J. Diss. 13.*

D

them.

Conf. Resol.
delib. Jur.
22. i. ff. n.
15. pag. 87.

them. i. qv. n. f. Posteriori verò ratione, si nimirum miraculosè ruptus præsumatur laqueus, cum Bachov. ad Treutl. c. supr. l. reum in carcere recipiendum censeo, & prout causâ denuo examinâtâ de hoc & aliis constiterit, judicandum esse. Eoqve modo, si quoque de innocentia suâ protestatus fuerit, suspendendum quandoque veniâ haud indignum arbitror cum Tiraqvell. d. tr. caus. ult. Casum ejusmodi mirum sanè recenset Gramondus *Histor. Gall. l. 10. p. 489. & seqq.* de Sclaramondo exploratore intercepto, qvi ad furcam judicio Capitalium præfecti damnatus, ad fidem conversus, voto DEI paræ Virgini dato, semel iterumque suspendio & morti miraculosè exemptus, ac proinde à Rege gratiâ donatus fuerit. Cujus quidem historię fidem libero cujusque judicio cum ipso Gramondo relinqvo.

XXI. Prætermittenda hîc non est trita illa quæstio: An ob insigne aliquod artificium pœna remittenda vel mitiganda sit? Quæ quidem affirmativè decidenda *ex famos. illa l. ad bestias 31. ff. de pœn & arbitrio Principis*, qvi consuli debet, relictum est, quousque damnato gratiam fieri velit. Carpz. P. 3. qv. 149. n. 65. quanquam non immeritò excipiat atqve gratiâ indignos planè judicet latrones manifestos, seditiosos aliosqve hujus farinae sceleratos Tiraqv. d. tr. caus. 50. n. 2. qvapropter & hic monita supra attendenda ac delicti qualitatē probè perpendendam esse statuo. Enodavit quæstionem hanc elegantissimè Vir Excellentissimus, Dn. M. Z. Cramerus, J. U. D. & Academiæ hujus Syndicus, Patronus ac Præceptor meus grâtâ mente nunquam non devenerandus, in *Disp. Inaug. de ARTIS EXCELLENTIA, cap. 4. per tot.*

XXII. Speciale est, quando ob publicam lætitiâ, veluti, si urbem ingrediatur homagii recipiendi causâ, vel novam nuptam ducat, vel natalem celebret, insignis aut alia sit festivitas, captivis gratiam impertire, vel extorres hæctenus currum contrectantes recipere Princeps solet. Dn. Struv: d. Ex. XLIX. §. 88.

XXIII. Ut dispiciam, restat: quidnam operetur gratia, seu quem habeat Effectum? Et quidem generaliter concepta pœnam tantum remittit. *l. 2. C. de sentent. pass.* neque famam restituit *l. 7. C. eod.* quæ specialiter restitui debet. Farinac. de *Inquisit. l. 1. Tit. 1. qv. 6. n. 45.* sicut & bona, honores & alia specialis Restitutio reddit. *l. 2. l. 3. & seqq. C. eod.* Hæctamen Restitutio rursus vel plenissima & in integrum & omnium eorum, quæ quis antea habuit, *l. 1. C. d. t.* vel minus plena, quæ

quæ vel honoribus, vel etiam bonis tantum restituit; prout ea sigil-
latim & specialiter exprimuntur. Dn. Ziegler. *de Jur. Majest. Ex. 4. §. 31.*
Quod bona attinet, notandum: quod in hisce haud contineantur à
fisco jam alienata, pro quibus tamen precium restituendum erit, si
fiscus exinde factus sit locupletior; quemadmodum nec pro iis, quæ
Princeps donavit aut perdidit, reddetur, nisi in amplissima forma
emanaverit restitutio. *d. Ex. §. 33.* quapropter ipsius gratiæ vel resti-
tutionis verba venient inspicienda, & secundum ea judicandum
erit, quæ tamen strictè debent explicari. Neque enim *l. 3. ff. de Constit.*
Principum procedit, quando jus tertii imminuitur *l. 2. §. 16. ff. nequid*
in loc. publ. d. l. §. 2. Dicta autem de Restitutione Gratia, non Justitiæ
erunt intelligenda.

Subsisto Cumque Tuæ B. L. expectationi me haud satisfacisse
sciam, tenuitati hoc ingenii dare, atque fortean errata veniam di-
gnari ut velis, etiam atque etiam rogo, & si licuerit, meliora pro-
mitto.

Sit Justissimo & Gratosissimo Soli DEO Gloria!

Quam Tu Juridicas trahes feliciter artes,
Hac AYRERE, satis pagina Docta probat.

Grator felices istos in jure labores,
Compeccor &, Patria commoda mille ferant!

A. B. CARPZOV, D.

Sonnet.

Setz und Recht wird nicht umbsonst uns vorge-
schrieben /

Ein ieder soll dabey sich halten wohl in Hut.

Ist jemand / der aus Spott und Troß darwieder thut /
Dem wird des Rächers Faust bald Herz und Muth be-
trüben

Wer ist wohl ungestraft bey Frevel ie geblieben?

Der eine büßt mit Hass / dem andern kostets Blut /

Dem fällts am leidlichsten / der reich an Haab und Gut

Ein schärffer Urthel kan auff allen Fall verschieben.

Jedoch /

Jedoch/ wenn solche Schuld nicht übermäßig ist:
Wenn Reu und Leid sich findet: Wenn Bekehrung ist zu
hoffen;

So steht den Armen noch die Thür zu Gnaden offen/
Das eben nicht das Schwerdt flugs Blut und Leben
frist.

Bei wem die Gnade steh/ willstus/ o Leser/ hören?
Wohl! Unser Ayrer wird dichs hier ausführlich lehren.

Dieses setzte dem Herrn Autori, als ihren werthesten
Tisch-Gliede/ Jhr. Excell. Hn. D. Carpzovs
Sämtliche Tischgenossenschaft

Poenam manet scelerum autores justissima: verum
Dat veniam miseris gratia saepe reis.

In nimio vitium est Jus summum injuria summa,
Nec damnosa minus gratia, quæ nimia,

Cuius sui positi fines. Tu pandis amice,

Jam nobis quoniam gratia danda modo,

Quamque sinant fieri veniam rectissima jura,

Quamque negent; quantum hic Principibus liceat.

Arduas sed digna tuo doctissime amice

Ingenio; Ex magnis est quoque magnus honos.

Hicce Leviuseulis Nobilissimo atque Pereximio Dn. Autori, Com-
mentali ac amico suo fraternè dilecto ex animo gratulari,
secundosque in studiis successus apprecari voluit

N. Müller. Hamb.

DEt delinquenti quo pacto summa Potestas
Delicti veniam, differis egregiè.

Provida sedulitas docet hoc, cum laude referre

Hanc nolo, potius scriptio testis erit.

Omnes idcirco tibi prospera quæque precantur;

Hinc AYRERE tibi gratulor ex animo.

Cedat

Cedat per multos labor hic feliciter annos,
Inservire queas ut Patriæ atque Patri.

Amica manu fraternoque affectu, in gratiam Nobilissimi ac
Præstantissimi Dni Autoris Præsidi Celeberrimo, ac juven-
tutis bono verè nato Icto, Augusto Benedicto Carpzovio
faustè disputaturi gratulabundus adjecit paucula hæc

FRANCISCUS à BREMEN, Hamb.

DEgeneres vexat Vecordia. Degener haud Tu
CARPZOVI auspiciis pulpita clara petis.
AYRERE audacter, quid GRATIA Principis, & cui
Competat ac desit, nec sine laude docens.
Nec sine laude docens, queis justè gratia fiat,
Quid recipit Cui jam gratia facta fuit.
Ardua quin mens est, hinc ardua scribere tentat
Et princeps animus, Principis acta refert.
Quid mirum? Te si Svavissime Principis ornet
Gratia, quem morum gratia summa probat.
Auguror, haut poterit non omnibus esse probatus,
Quem probat ingenium, quem probat ipsa Themis.
Quemq; probat Virtus, utinam sim providus augur,
Is meritò patriæ Principibusq; placet.

Pauculis hisce Clarissimo Doctissimoque Dno. Autori, Amico
suo ac contubernali fraterno amore prosequendo, de
edito feliciter Specimine Academico gratulari voluit de-
buit

P. Bermehren/ Lub.

☞ (:o:) ☞

Cedat per multos labor hic feliciter annos
interire quos ut Patrie adve Patri.

Amici manu... in gratia Nobilitatis...
Professione...
Amici manu... in gratia Nobilitatis...
Professione...
Amici manu... in gratia Nobilitatis...
Professione...

FRANCISCUS A BREMEN. Hamb.

Dignetur vobis Recordari...
CARLOVI...
ATRE...
Comperit se...
Nec sine laude...
Quid mirum? Te...
Gentem...
Auctor, hanc...
Quem proder...
Lectio...
Pauca...
R. ...

1750

TA-OL

ULB Halle 3
002 100 622



VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1678 13 4 6

C. D.

U S

ATIANDI

Ord. Consensu,

SIDE

BENEDICTO

ZOVIO,

F. PROF. PUBL. NEC

ID. ASSESS. ET CANON.

BURG.

Proponit

TOR

N. AYRER,

DENS.

embr. M. DC. LXXIIIX.

S I Æ,

PHORI GÜNTHERL

Nono Alex

